DE

PNEUMATOSEOS PATHOGENIA.

DISSERTATIO
INAUGURALIS MEDICA
QUAM
CONSENSU ET AUCTORITATE
GRATIOSI MEDICORUM ORDINIS
IN
UNIVERSITATE LITERARIA
FRIDERICA GUILELMA
UT SUMMI
IN MEDICINA ET CHIRURGIA HONORES
RITE SIBI CONCEDANTUR
DIE XI. M. IULII A. MDCCCXXXIII.
H. L. Q. S.
DEFENSURUS EST

AUCTOR
GUSTAVUS ADOLPHUS HAAR
BREMENSIS.

OPPONENTIBUS:

A BROICH, MED. ET CHIR. DR.
KOENIGSFELD, MED. ET CHIR. DR.
KRAFT, MED. ET CHIR. CAND.

BEROLINI,
TYPIS NIETACKIANIS.

Eum recte curaturum esse dicunt, quem prima origo causae non fefellerit.

Celsus.

PRAEFATIO.

Saepenumero mihi cogitanti, quodnam specimen ederem inaugurale, tanta semper obvenit argumentorum multitudo, ut quid sit melius scribendum aptiusque, diu nescirem. Quod vero fere quavis de re medica dissertum est quidquam egregium saluberrimumque: tandem consilium cepi de pneumatoseos pathogenia conscribendi dissertationem, quia nonnullis exceptis fere est non quisquam, qui hunc morbum conatus fuerit tractare. Pneumatoseos therapiam opinatus sum in dissertatione inaugurali esse omittendam, quoniam pneumatosis utplurimum

cernitur alius morbi symptoma, ita ut, si pneumatoseos methodum curandi voluissem afferre, cujusque morbi, cujus symptoma valet prodire pneumatosis, therapiam pertractassem, necesse fuisset. Spero fore, ut, lector benevole! mihi tironi juvenique, qui cursum academicum nondum peregit atque experientia prudentiaque non esse sese praeditum animo probo sinceroque fatetur, indulgeas, ac ut credas, me scripturum fuisse nihildum, nisi statuta me impulissent Amplicissimae Facultatis Medicorum, rogo petoque!

LITERATURA.

Fiennes, de flatibus molestantibus. 1682.

Combalousier, de affectionibus flatulentis. Parisiis 1747.

Zeviani, de hypochondriasi, flatibus etc. 1775.

Carolus de la Fons, de tympanitide.

Stahl, de flatulentia

Fik, de hydrope sicco.

Cullen, Anfangsgründe der practisch. Arzneiwissenschaft; a. d. E. übersetzt m. Anmerk. und Zusätzen von Rotheram. Leipzig 1800. 4 Th.

Sauvages, de pathologia methodica. Genf, 1752.

— — nosologia methodica. Amstelod. 1768. 2 vol.

Morgagni, de sedibus et causis morborum, Lugd. Batav. 1767. lib. I. ep. 5.

Bonnet, sepulchret. lib. I. sect. 2.

Trnka de Krzowitz, tympanitidis historia.

Rintel, de tympanitide, Goetting. 1808.

Nysten, recherches de physiologie et de chimie patholog. Paris 1811.

Laennec, traité de l'auscultation, tom. deuxième, Paris 1831.

Foderé, Pneumatologia des menschlichen Körpers, übersetzt von Dr. Fitzler. Ilmenau 1831.

Andral, Grundrifs der pathologischen Anatomie von Dr. Becker, Leipz. 1829.

Itard, sur le pneumothorax ou les congestions gaseuses, qui se forment dans la poitrine, Paris 1803.

Frank, J. P., de curand. hom. morb. epit. tom. VII. Tueb. 1811.

Senac, de la structure du coeur, son action et de ses maladies. Paris 1774, übersetzt. Leipz. 1781. 2 Theile.

Portal, cours d'anatomie medicale, ou élements de l'anatomie de l'homme. Paris 1800.

Spitta, die Leichenöffnung in Bezug auf Pathologie und Diagnostik, Stendal 1826.

Abercrombie, pathologische und praktische Untersuchungen über die Krankh. des Magens, des Darmkanals, der Leber und anderer Organe des Unterleibs. A. d. E. von G. v. d. Busch, Bremen 1830.

Pneumatosis (emphysema, inflatio, enpneumatosis Caelii Aureliani, tympanitis universalis Schenkii) est ille morbus, quo corporis in cavitatibus ejusve in partium superficie singularum materia quaedam aëriformis colligitur praeter modum partesque affectas plus minusve extendit iisque injurias affert.

Aetiologiam et symptomatologiam difficile est exponere generalem pneumatoseos, quippe quae alius morbi cujusdam plerumque symptoma est, quam ob rem causas ac phaenomena formarum pneumatoseos variarum exponam, necesse esse videtur. Est vero fundamentum dividendi petendum a quacunque parte pneumatosi affecta, ita ut pneumatosin pulmonum, pleurae, pericardii, tractus intestinorum, uteri telaeque cellulosae externae distinguere possimus.

I. PULMONUM PNEUMATOSIS S. EMPHYSEMA.

Pulmonum emphysema statuitur eo, quod bronchia aëre praeter modum extenduntur. Laennec tres species, quae ne cum tuberculorum cavis commutentur facile sollicitari possumus, discrevit. Occurrit enim dilatatio totalis ac congruens bronchii unius vel plurium, quae in parte pulmonum peripherica haud raro in indurationes melanoticas cartilagineasque transeunt in formationes. Saepe vero adest dilatatio bronchii cujusdam partialis magnitudine seminis cannabini usque ad eam amygdalae, et quoniam partes hoc modo extensae in pulmonibus saepissime inveniuntur perplures nec non raro pure vel pituita quadam impletae: tuberculorum simillimae cavis cernuntur. Morgagni et Baillie hasce dilatationes esse vesiculas pulmonum censent extensas. In superficie si sunt sitae vesiculae, saepissime fieri solet, ut crepent atque aër, integra adhuc pleura pulmonali, effundatur in telam cellulosam pulmones ambientem, quod emphysema superficiem pulmonum fere totam consuescit tenere. Laennec tertiam attulit speciem: dilatationem bronchiorum fusiformem; bronchia dicit media parte ita esse extensa, ut parietes tenuissimi pellucidique nobis appareant,

fines vero eorundem consuetum normalemque habere circuitum. Diagnosis hujus morbi aegro vivente semper foret difficillima, atque si morbus recte etiam cognosceretur, tamen morbi removendi spem confiteamur esse nullam. Plerumque vero aegroti vita hoc morbo in periculum non vocari dicitur, nisi aër in telam cellulosam effusus sit pulmones cingentem, sed tamen respiratio observatur quovis tempore oppressa, facies inprimisque labia livido suffusa rubore tumidaque ac totum corpus colorem utplurimum cachecticum vel violaceum praebet.

Emphysema pulmonum saepissime constituitur in hominibus, qui tussi pertinaci longeque durante vexabantur, qui afficiebantur contusione, costarum fractura pulmonumque commotione vel vehementer clamare et ridere consuescebant. Nonnulli viri docti emphysema pulmonum sub partus labore exortum enarrant sese observasse. Quod quidem malum ut semsim sensimque enascatur accidere plurimum solet: infantes vero, tussi convulsiva affectos vehementissima, censet Andral (1), subito invadere valere.

---

(1) Andral; Grundrisse der pathol. Anatomie. A. d. Fr. mit einer Einleitung, Bemerkungen und Zusätzen von Becker. 2 Bände. Leipz. 1829 — 1830. B. 2. Abth. 2. S. 156.

II. PLEUROPNEUMATOSIS S. PNEUMOTHORAX.

Pneumothorax illa pneumatoseos nominanda est species, qua materia aëriformis pleurae in cavitatibus adest, quem morbum censeo saepenumero occurrere, qua de re, qui accuratius uberiusque tractetur, habeo dignissimum. Medici Franco-Galli, qui in anatomiae pathologicae studium incumbant amore ardoreque quam maxime laudando, inprimis hoc quoque malum eruerunt in lucem ac omnium ingeniosissimum! quis est, qui non Laennec grato veneretur animo eumque praemature lugeat exstinctum! —

Causa efficiens pneumothoracis duplex esse potest, aër nempe vulnere thoracem illato praevio vel fistula bronchiali praesente penetrat in pleurae cavitatem, aut liquidum quoddam elasticum pleuris integumentisque salvis externis in organismo evolvitur ipso. Distinguimus vero maxime pleuropneumatosin simplicem et complicatam. Pneumothorax simplex eo constat, quod pleurae cavum, quin pleura ullo modo laesa aut sanguis vel serum vel pus in cavum ejusdem effusa obveniant, gase tantummodo quodam plus minusve impletum est, quod fluidum elasticum nihil aliud existimandum est, nisi exhalatio

serosa, quam invenimus cuivis membranae propriam serosae, et quam calore animali formam gasis cujusdam induisse ut ponamus oportet. Haud vero raro accidit, ut simul adsit collectio quaedam serosa vel purulenta, quam pneumatosin ut etiam illam, quae cum fistula bronchiali, communicationem cum pleurae cavo constituente, cernitur conjuncta, complicatam fas erit nominare. Itard (1) pneumathoracem complicatum prioris generis descripsit eumque pneumoniae chronicae, quae phthisin pulmonalem consuescit comitari, existimat sequelam, quando pus vel serum in pleurae cavum effusum fermentatione vel putredine exorta transeat in pneuma. Laennec ad Itardi sententiam accedit, censet vero pneumothoracem cum fistula bronchiali complicatum occurrere omnium frequentissimum. Laennec dicit: »*Cette espèce de pneumothorax* (sc. pneumothorax »Itardi supra explicatus) *est assez commune, mais* »*elle n'est pas la seule; j'ai eu occasion d'en dis-* »*tinguer plusieurs autres tres-tranchées. J'ai ren-* »*contré plusieurs fois le pneumothorax coïncidant* »*avec une epanchement sero-purulent considerable*

---

(1) Sur le pneumothorax ou les congestions gaseuses, qui se forment dans la poitrine. Paris 1803.

»dans la cavité de la plevre et une communication »etablie entre la cavité de cette membrane et les »bronches au moyen d'une tubercule ramollie d'une »vomique qui s'était ouverte a la fois dans les bron- »ches et la plevre. Je regarde cette espèce de »pueumothorax comme la plus commune de toutes, »au moins est ce celle, que j'ai trouvé le plus fre- »quement.» Sunt vero multa, quae fistulam bronchialem, ita ut aër atmosphaericus in pleurae penetret cavum, queant efficere. Fistula enasci potest ruptura vesiculae pulmonalis, vel pulmonum sequela emphysematis, vel viribus totius corporis praesertimque pulmonum nimis intensis adducta. Omnium vero frequentissima causa quaerenda est in eo, quod vomica vel cavum tuberculi cujusdam dirimitur, ita ut bronchia cum pleurae cavitate ineant communicationem, quapropter fistulae quoque utplurimum pulmonibus, qui inflammationi succubuerunt aut phthisi divexantur, inhaerent. Non vero non evenit, ut pneumothorax cum hydrope sit complicatus, qui status nominandus est hydropleuropneumatosis, ac ego censerem, hic pneuma sese evolvere, quando caloris ope animalis vel fermentatione et decompositione exorta fluidum stagnans gasis formam cujusdam cogitur assumere, quo modo fere eodem pneu-

mothorax produci potest effusione sanguinis in pleuram quacunque causa effecta, cujus haematopleuropneumatoseos Littre exemplum attulit saluberrimum.

Pneumothoracis symptomata negandum est perspicua cognituque esse facilia, atque viri medici in errorem, pneumothoracem mutandi cum hydrothorace, facillime queunt incidere, quod eo magis fieri potest, quo crebrius uterque una consuescit adesse morbus. Offerunt enim ambo morbi dyspnoeam, quae hominem praecipue flagrat supinus jacentem, ita ut aeger corpore erecto capiteque anteriora versus inclinato spirare cogatur, suffocationis sensum, quo dormiens nocte subitoque comprehenditur ac excitatur primo e somno, tussim, pectoris oppressionem, inaequalem ac intermittentem pulsum. Quae cum ita sint, singuli morbi causa cognoscendi alia signa pathognomonica, opus foret, ut investigemus. — Hydrothorax semper praebet signa hydropica variis corporis inhaerentia partibus. Schröder van der Kolk (1) palpebram inferiorem aqua quadam

---

(1) Observ. anatomico-pathologic. et practic. argumenti fasc. 1. 1825. conf. die Brustwassersucht in den Sammlungen auserlesener Abhandlungen zum Gebrauch für pract. Aerzte. B. 36. pag. 692.

suffusam, inprimisque quando simul conspicatur pedum oedema, symptoma hydrothoracis contendit nunquam non esse obveniens, ita ut unice e faciei forma habituque morbum cognoscere semper valuerit. Quod quidem signum quamvis simplici desit pleuropneumatosi: tamen non nobis censendum est certum perspicuumque, quoniam utplurimum pneumothorax obvenire consuescit cum hydrothorace complicatus, qua de re exploratione solummodo stethoscopica instituta certam praeberi mihi persuasum est diagnosin. Nec vero possum, quin signis, quae exploratione apparent stethoscopica, in afferendis consequar Laennec, qui de pneumothorace praestantissimam nobis reddidit expositionem. Pars thoracis morbo submissa percussione adhibita sonum edere dicitur longe clariorem quam sanum latus, quod vero signum, praesertim quando pleuropneumatosis complicata est cum hydrothorace, minus valere atque majorem fiduciam esse ponendam in stethoscopica existimo exploratione. In pneumothorace simplice latus affectum longe clarius resonat, nec nullo tempore tympani sonus (son tympanique L.) auribus accipitur erectis et nusquam, nisi pleura adhaereat, respirationis percipitur strepitus. In hydropneumothorace, quo liquidum effusum inferiorem

tenet pleurae locum, pneuma vero superiorem; sonus altior in superiore pectoris parte, in inferiore vero editur obscurior, ac simul quoque omnia hydrothoracis symptomata adsunt pathognomonica. Illo vero in pneumothorace cum fistula complicato bronchiali redditur sonus, quem Laennec nominat *»le tintement metallique«*, vel respirationis strepitus *»la resonance amphorique«* dictus. *»Il faut,* inquit *»Laennec, que le malade venant a se relever »brusquement dans son lit, une goutte de liquide »restée a la paroi superieure de la poitrine se de»tache e tombe au fond. On entend alors un bruit, »semblable a celui d'une goutte d'eau, qu'on laisse»rait tomber dans une caraffe aux trois quarts vide »et ce bruit est immediatement suivi d'un tintement »metallique evident.»*

III. PNEUMOPERICARDIUM.

Qui quidem morbus ne omnino enasci queat at nec raro autem homine vivente occurrat, nobis non est dubitandum; attamen vero diagnosin perdifficillime, nisi certam prorsus non, quin fateamur, reddi,

non possumus. Senac (1), Portal (2), Laennec aliique viri medici, pericardium dum aperiebant, ex eodem pneuma quoddam, strepitu cum quodam prosiliens saepissime observabant, ac ego pericardio in aquam submerso simulac infigebam cultrum, statim vesiculas aëre impletas ex aquae fundo sursum adscendentes, quae in superficie dirumpebantur, videbam. Itaque fluidum, quod hominis viventis adeoque plane sani insit in pericardio, jam semper arbitratus sum esse elasticum et aëriforme magis quam serosum, ac omnino cavitates membrana serosa instructas: pericardium, pleurae saccos inprimisque cerebri ventriculos statu normali fluido quodam elastico mihi persuasum est esse impletas. Fluidi enim illis in cavitatibus secreti functio si in eo praesertim constare fertur, quod, ne cavitatum parietes inter sese invicem oblineantur organisque cum inclusis, impeditur: haecce, si fluidum illud sese habet naturae aëriformis, facilius peragetur, quoniam hoc modo tota organorum, quae insunt cavitatibus in illis, superficies a parietibus earum facilius tenebitur remota. Duntaxat enim serum adesset: hoc gravitatis causa im-

---

(1) Traité du coeur tom. 2, pag. 354.

(2) Anatomie médicale tom. 2, pag. 27.

pleret partem cavitatis tantum profundissime sitam ac hoc solummodo loco organum inclusum abstinere cavi a parietibus valeret, regione vero in altius sita, fluido absente, quam facillime orirentur adhaesiones. Quin! fluidum liquidum ventriculis e cerebri lateralibus, qui foramine Monroi transeunt in tertium, effunderetur in tertium cerebri ventriculum ac ex hoc Sylvii aquaeductum penetraret efficeretque quarti ventriculi hydropem, dum ventriculi superiores plus minusve carerent fluido, esset necesse. Non vero non erat tempus, quo pneuma quoddam secerni sanguine ex ipso censebatur, quo modo adhuc Richterus (1) tympanitidis progeniem explicat abdominalis, quae vero hypothesis plane est rejicienda, sed membranas serosas opinor secernere serum, quod, synovia forsitan excepta, calore animali aëream induere cogitur formam. Ribes quoque in statu sanitatis normali quantitatem hujus gasis exiguam praesto esse in pleurae cavitate existimat; quando enim canum viventium cavitates, membrana vestitas serosa, aperiebat: quovis fere tempore sonum, quem egrediens reddebat aër, percipere solebat crepitantem. Nec medicorum ullus quum totam pleurae cavitatem supponere queat

(1) Spec. Therapie B. 4, pag 226.

fluido quodam liquido, ita ut pulmones plane natarent quasi in aqua, esse repletam: necesse esset gravitas aëris atmosphaerici vesiculas pulmonales dirumperet vasaque, nisi materia quaedam animalis in pleurae saccis aëriformis aëri atmosphaerico opponeretur. At forsan est, qui objiciat, respirationem, quando gas quoddam in pleurae praesto sit saccis, reddi molestiorem: prorsus vero non! potius enim respirationem levari contendere licebit, quia gas, cui facultas sese extendendi attribuenda est, pulmones studet comprimere ac hoc modo, ut aër facilius exhaletur e bronchiis, conficere valet.

Quibus ex omnibus satis jamiam elucet, in pericardio pneuma quoddam posse sese evolvere ac item adesse in statu sanitatis normali ejus partem exiguam, quod exploratio quovis tempore probat peracta. Qua vero re concedenda nos non negare fas erit pneumopericardium: evolutionem videlicet in pericardio morbose perauctam fluidi cujusdam elastici, quo sanitati plus minusve injuria quaedam infertur. Johnson (1) pneumopericardii a se observati enarrat historiam. Homo huic morbo submissus in cordis regione sensu plenitudinis cujusdam ac anxietatis valde

(1) Med. chirurg. review. April 1825.

vexabatur, provecto morbo nocturnis terrefactus pavoribus summa virium prostratione discruciabatur, seriusque succedebat habitus chloroticus, oedema pedum animique deliquia; pulsus cordis, cum arteriarum incongruens, vix poterat percipi, atque percussio pectoris praesertim in cordis regione sonum edebat praeclarum. Thorace aegri subito exstincti aperto, statim apparebat pericardium pellucidum aëreque pervalde inflatum. Plane sani cernebantur pulmones, cordisque ventriculi in superficie interna pallidi nec ullum praebebant sanguinem. Qua ex historia allata quantum difficilis sit morbus cognitu, sequitur quam satis, ac quam facillime fieri, ut permutetur pneumopericardium cum pericardii hydrope aliisque vitiis cordis organicis, queat.

IV. PNEUMATOSIS TRACTUS INTESTINORUM.

Pneumatosis tractus intestinorum est pneumatosis intestinalis Cullenii, tympania Sauvagesii, tympanitis, hydrops siccus vel flatulentus aliorum. Tympaniae vocabulum, quod jam Petro Frank non arridet, quamvis sit ineptum, quia, dum aër haeret in intestinis, abdomen percus-

sum non semper tympani edit sonum: tympanitidis nomen, quod quidem quoque, quia simul denominat tympani inflammationem, habendum est ineptum, tamen, quoniam more receptum, huic pneumatoseos speciei attribuere licebit. Cullenius, ut scriptorum quoque plurimi facere consuescunt, dividit pneumatosin abdominalem et intestinalem, quarum hancce denuo distribuere possumus in pneumatosin entericam et ventriculi: rarissime enim fieret, ut pneuma in oesophago quoddam volvatur, nisi quid hic e ventriculo vel intestinis sursum adscendens retinetur faucium constrictione. Sauvagesius septem tympaniae species affert: 1) intestinalem, 2) abdominalem, 3) enterophysoden, cum aër laesa membrana villosa intra intestinorum membranas haeret, 4) asciticam, tympaniam cum ascite complicatam, 5) spasmodicam, 6) verminosam et denique 7) saburralem. -- A decursu tympanitis discernenda est acuta, meteorismus dicta, atque chronica; quae vero divisiones et Cullenii et Sauvagesii praxin factitantibus medicam utilitatem praebent fere nullam. Abercrombie (1) tym-

---

(1) Pathologische und practische Untersuchungen über die Krankheiten des Magens, des Darmkanals, der Leber

panitidem acutam, morbi symptoma acuti, et chronicam discrevit, ac quamvis haecce divisio jamiam graviorem praxi praebeat utilitatem: tamen potius fundamentum dividendi a causa quacunque petendum esse mihi videtur, qua de re quatuor tympanitidis formas distinguo: scilicet tympanitidem inflammatoriam, atonicam, spasticam et putridam.

Symptomatologiam tympanitidis, quippe quae alius morbi cujusdam plerumque cernitur symptoma, illustrare difficile est. Cullenius affert pneumatoseos intestinalis tanquam symptomata: abdominis intumescentiam tensam, elasticam, sonoram cum alvo adstricta partiumque ceterarum macie, quae vero signa minus sunt certa, abdomen enim percussum non semper sonat ac adsit alvi obstructio necesse plane non est. Morbus cum ascite mutari quam facillime potest, sunt enim tussis sicca, respiratio angusta, lassitudo, lumborum dolor aliaque symptomata utrique communia morbo. Lieutaudius pulsum in tympanitide semper esse pleniorem et duriorem quam in ascite dicit, contrarium vero se observasse Frank confitetur, ita ut censeam, certius signum

---

und anderer Organe des Unterleibes. A. d. E. von Gerhard von dem Busch. Bremen 1830. pag. 408.

nobis praebere fluctuationem, semper in tympanitide deficientem, quam in ascite vero palma, ex una parte abdomini imposita, dum altera abdomen percutit parte ex opposita, percipit; in tympanitide quoque non tumescunt extremitates inferiores aliaeve corporis partes, quod in ascite plerumque fieri solet. Affectionis cordis sympathicae, quae varias tympanitidis formas ut omnino ventriculi intestinorumque morbos consuescit comitari, facere mihi liceat mentionem. Quoniam ventriculus ac intestina nervo vago sympathicoque cum corde quam intime consociata sunt, nil est, quod, intestinorum morbos adducere sympathicas cordis motiones, miremur, quo modo etiam febris progeniem gastricae arbitror solummodo posse explicari; ventriculus enim intestinaque, quocunque fortiori agitata stimulo, cor ipsum, arterias totumque systema nervosum trahendo in consensum febres saepenumero excitant. Qua ex unione quoque nervorum explicare tantum licet, cur omnibus fere gastricis in morbis inveniamus pulsum plus minusve irregularem et intermittentem ac quo modo fiat, ut pulsus irregularis gastricam plerumque indicet crisin. Signa illa sympathica praesertim eo constant, quod aegroti anxietatem quandam, auctam cordis pulsationem ac intermittentem, tremorem quendam vel pal-

pitationes accusant gravissimas et dyspnoea nec non sensu, tanquam cor vehementer subitoque comprehendatur, instantisque periculi divexantur timore. Quae affectiones plerumque per horas tantum nonnullas, saepius vero quoque dies durant perplures, ita ut non raro vitium quam maxime simulent organicum cordis. Quod vero malum sympathicum, animo signis ambiguis bene adverso, distingui tamen vitio ab organico cordis facile potest, quia pulsus arteriarum cordisque in apyrexia observatur regularis, organorum morbus gastricorum semper quidam cognoscitur, methodus curandi antigastrica juvat inprimisque quia malum invadit cor fere semper eo tempore, quo aeger quiescit post coenam, atque movendo, quo organici signa vitii augentur cordis, morbus mitigatur. — Tympanitici quamquam multiplicibus, interdum gravissimis premuntur incommodis: tamen, ut haecce omnia afferantur, fieri nequit, quia utplurimum cum illis, quae sunt morbi, cujus symptoma cernitur tympanitis, convenire solent.

Organis assimilationis salvis validisque in ventriculo ipso gas quoddam non formari videtur, certe vero parva copia contentis tractum intestinorum peragrantibus reliquum. Hocce quidem fluidum aëriforme, quod ex acido carbonico, hydrogenio et gase

azotico variis in proportionibus inter sese permixtis constare dicitur, copia illa, qua organis salvis solvitur e nutrimentis, molestiam non fere ullam corpori affert: morbose vero augeri potest, ita ut morbus quidam: dyspepsia, flatulentia adeoque tympanitis oriatur, ac hoc modo potest accidere, ut colica flatulenta, dolor in regione lumbari, obstructio alvi, stranguria, singultus, vomitus, palpitatio cordis, dyspnoea aliaeque affectiones provocentur morbosae. Causas pneumatoseos intestinalis respicientes, omnia, quae chymificationi aptaeque chylificationi obstant, permultas molestias dyspepticas et simul quoque pneumatosin inveniemus posse efficere. Momentum vero, quod assimilatio desiderat apta validaque, gravissimum certe est vis muscularis ventriculi ac intestinorum firma; oritur enim secundum Magendie, simulac initium est factum assimilationis, commotio ventriculi quaedam, qua ejus contenta a parte aversa in anticam inter curvaturas volvuntur. Est autem vis muscularis plus minusve exstincta: ventriculus ut fluido elastico, quod e nutrimentis haesitantibus evolvitur, extendatur oportet, ac in intestinis fit idem, quando motus eorum peristalticus debilitatus vel plane sublatus est. Mihi vero conjecturam quandam liceat afferre, videlicet censeam abdomen

saepenumero, pneumatibus, quae tumorem efficiant, plane absentibus, posse tumescere; quod enim intestinis nisus sese extendendi attribuendus est, ita ut illa in longitudinem persecta foras sese circumvolvant: sicubi vis intestini muscularis contrahens aliquo modo seu inflammatione seu atonia nervosa debilitatur, ibi intestinum affectum sese extendat necesse est. Quando igitur vis intestinorum nervorum hebetudine quadam vel adeo paralysi afficitur: tunc pneumatosis ut succedat oportet. Causa ex hac explicari potest, qua re nervo vago in cane ligato ventriculus insigniter mox tumescat. Lieutaudius (1) paralyseos ventriculi enarrat exemplum, quo hominis ventriculus exstincti quam maxime extensus ac, quamvis ex longo tempore nutrimenti nihil esset assumptum, tamen inveniebatur impletus. Momenta vero, quae illam membranae intestinorum muscularis adducunt hebetudinem, motum perversum vel paralysin, arbitror esse inprimis inflammationem, atoniam, spasmum atque putredinem, ita ut hasce secundum causas pneumatoseos intestinalis divisionem omnium optimam praxinque factitantibus medicam saluberrimam censeam esse habendam.

(1) Mém. de l'Ac. des sc. de Paris pour 1752, pag. 222—232.

Quaeritur vero, quomodo fiat, ut oriatur tympanitis abdominalis, ut gasa quaedam in cavitate peritonaei ipsius sese colligere possint? Symptomata pneumatoseos abdominalis constituuntur intumescentia abdominis cum sonitu evidentiore, tumore magis aequabili, emissione flatuum rariore minusque levante quam intestinali. Pneumatosin abdominalem interdum occurrere negare non possumus, sed originem trahere ex eo, quod pneuma quoddam secernatur sanguine ex ipso, ut vult Richterus aliique scriptores, hypothesin haud probabilem esse videri ac mihi saltem incredibilem non possum non confiteri. Hanc pneumatoseos speciem oriri plerumque laesione intestinorum praegressa mihi persuasum est, ac etiam Abercrombie (l. c. pag. 408) eandem tenet sententiam, qui dicit: »nullum sibi morbum eo, qui plerumque nominetur tympanitis abdominalis, similem occurrisse, nisi pneuma intestino corroso in peritonaei cavitatem invasisset; sed saepenumero illam aperturam, quae fluidi aëriformis concedat transitum, difficile esse inventu.« Interdum vero tympanitis abdominalis eodem modo oritur, quo supra explicare conatus sum pneumopericardium; aut accidit, ut materia aëriformis putredine evolvatur, ut jamiam Morgagnius opinatus est; in funeribus enim adspicimus non raro

vesiculas, aëre quodam impletas ac hepatis aliorumve viscerum superficiei adhaerentes, quae, ruptae homine vivente, materiam ructantes aëream tympanitidem effecissent abdominalem; vel, ut vult Platnerus, pneumatosis abdominalis ex humorum quorundam decompositione et fermentatione quadam constituitur.

Quod si frequentissima maximique momenti causa pneumatoseos intestinalis habenda est inflammatio, atonia, spasmus ac fermentatio, qui processus morbosi species illas perficiunt supra jam dictas: harum itaque aetiologiam et symptomatologiam ut exhibeamus specialem oportet.

TYMPANITIS INFLAMMATORIA.

Tympanitis inflammatoria eo, quod intestinorum tractus comprehenditur inflammatione vel acuta vel chronica, oritur. Tres vero species: dysenteria, enteritis sensu strictiori et peritonitis intestinalis sunt discernendae. Dysenteria nominanda est inflammatio, cui submittitur membrana intestinorum pituitosa seu interna, qua in specie plerumque alvi excretio peraucta est ac exitus, si malus est, ut omnino membranarum inflammationis mucosarum plurimum exulceratio vel gangraena.

Enteriteos nomen nos attribuere consentaneum foret solummodo inflammationi, quae membranam invadit muscularem, quaque motus intestinorum peristalticus deminuitur vel plane tollitur, ita ut excretio alvi plane oppressa sit. Exitus hujus morbi plerumque gangraena est. Denique adhuc distinguenda est peritonitis intestinalis s. membranae inflammatio intestinorum externae seu serosae, quae ab enteritide discriminari potest eo, quod alvi dejectio aut sanitati est congruens aut tamen medicamentis facile potest effici aptis. Quae vero inflammatio nisi solvitur, facile fieri potest, ut pars intestini inflammata exsudet aut lympham, qua hydrops oritur ascites, aut materiam plasticam quandam, qua membranae fiunt ac filamenta, sejunctas conglutinantia partes, aut ut nascatur suppuratio vel dissolutio partium gangraenosa, qua morbus lethalem ruit in exitum. Quibus ex omnibus vario modo tympanitidem oriri inflammatoriam jamjam satis patet, qua de re, quamvis illas inflammationis formas persaepe sese conjungere, distinctionem illam haud raro difficilem esse discretu atque praxin factitantibus medicam minorem praebere utilitatem nobis confitendum sit: tamen ad tympanitidem inflammatoriam rite explicandam illa divisio dignissima, quae afferatur, mihi est visa. — In-

primis videlicet tympanitis membrana intestinorum musculari inflammata orietur eo, quod functione elata, quam quaeque inflammatio plus minusve perficit, vis muscularis, itaque quoque motus peristalticus quiescit, ita ut excernenda, ne excernantur, impediantur, quo modo fit, ut pars intestini inflammata et illa, quae supra hancce est sita, partim facultate, vi sublata musculari, sponte se extendendi, partim faecium fermentatione haesitantium extendatur. Tympanitis inflammatoria acuta est semper tantummodo alius morbi acuti inprimis enteriteos symptoma ac plerumque inflammatione sanata tollitur. Non est vero exitus semper sic felix faustusque, inflammatio enim amoveri potest ac tamen tympanitis remanet, aut quod adhaesiones plasticae vel partium desorganisationes intestinalium ortae sunt aut quod, tanquam inflammationis sequela, vis intestinorum muscularis debilitata vel plane paralysi affecta est.

Tympanitis inflammatoria chronica est symptoma enteritidis chronicae, quae fortasse crebrius quam creditur plerumque occurrit, morbum vero difficilem esse dignotu quin fateamur, non possumus. Abercrombie l. c. dicit: »tympanitis chronica feminas saepissime invadit, atque utplurimum morbus est perniciosus. Sin illa cum collapsu quodam cernitur

conjuncta ac omnino organismus valde debilitatus est: tunc peritonitidem adesse chronicam revera non possumus non suspicari ac haecce opinio adhuc augetur, sin aeger molestias vel dolores quosdam conqueritur in abdomine sentiri. » Causa speciei tympanitidis hujusce semper est inflammatio intestinorum chronica praesertimque membranae muscularis, sed etiam peritonitis intestinalis et dysenteria, quod vero rarius fit, meteorismum potest efficere. Dysenteria eo facilius meteorismum provocare valebit, quo magis intestinum rectum et colon inflammatione affectum est, quia tunc faeces intestinis in tenuibus sese colligent et fermentatione vel putredine, in quam eas retentione longiori justo, opus est, transire, tumefacient intestina, qua dysenteriae in specie tantum quoque aderit tenesmus, quia musculus sphincter ani spasmo, irritatione illa inflammatoria effecto, constringitur. Sin autem dysenteria tenuia invadit intestina: tunc excretio alvi peraucta est aderitque diarrhoea, qua de re meteorismus rarius oritur. Quae vero dysenteriae divisio praxin exercentibus medicam quam maximi est momenti, tenuibus enim inflammatis intestinis remedia purgantia omnino non ulla usurpanda sunt, quippe quae, salia inprimis irritantia, inflammationem amplificant et quia desunt, quae

essent iis educanda; indicata vero sunt certe purgantia, praesertim emollientia, in crassiorum dysenteria intestinorum, ut faeces intestinis in tenuibus accumulatae haesitantesque, quoniam valde peraugent irritationem, excernantur per anum.

Quando haemorrhagiae, haemorrhoides fluentes, menses aliaeve supprimuntur: haud raro observatur colica atque tympanitis, quae etiam succedunt exanthematum suppressioni chronicarum fluorisque albi, quibus in casibus inflammationem intestinorum chronicam censeam esse exortam. Richter narrat, nonnullis puellis abdomen ineunte menstruatione tam valde intumescere, ne, ut uteri tumor causa sit unica, fieri queat, quo casu quoque propensus sum subinflammatorium intestinorum supponere statum.

Tympanitidis symptomata inflammatoriae, quod fere cum illis, quae sunt enteritidis, convenire videntur, seorsum tractare foret supervacuum.

TYMPANITIS ATONICA.

Atoniae causas permultas fereque innumerabiles hoc loco accuratissime uberrimeque explicare superfluum consiliumque meum non est. Universim vires quomodocunque exhaustae atoniam afferunt, et quid-

quid igitur nervorum actionem aut vires minuit vel exstinguit praesertimque impedit, quominus organa chylopoëtica rite alantur suasque apte agant functiones, id atoniam efficere compertum est. Summa vero atonia vocatur paralysis seu resolutio, qua corporis quaedam pars affecta movendi amittit facultatem. Atoniam nominare possumus universam, quando organismi totius systema nervosum debilitatum vel plus minusve resolutum, atque partialem, quando cujusquam corporis partis vis vitalis deminuta vel cernitur penitus sublata, quam ob rem, quia atonia utplurimum tympanitidis est causa, tympanitidem quoque fas est ex atonia aut universa aut partiali distinguere exortam.

Quodsi totius corporis nervi debilitati sunt: tunc etiam vita nervorum tractus intestinalis gradu congruente exstinguatur necesse est, quo modo fit, ut intestina facultate, vi musculari sublata, sponte sese extendendi, aut fermentatione putredineque contentorum haesitantium sese extendant ac hoc modo pneumatosis plus minusve formetur. Haec morbi species nervosis in febribus nobis saepissime apparet, omnino omnibus in morbis, qui totum organismum et nervosum inprimis systema continuitate quadam, per plures extensa dies, invadunt ut febres lentae, cachexiae chro-

nicae, suppurationes partium corporis internarum aliique. Portal tympanitidem permulto sanguine amisso exortam se vidisse enarrat. Praecipue crebro oritur tympanitis eo tempore, quo vita morti sese propinquat exstinguique properat. Itaque est tympanitis symptoma mortem non procul esse indicans, quod igitur fere semper prognosin malam et eo quidem pejorem, quo magis flatulentia transit in tympanitidem, praebet.

Tympanitis ex atonia locali originem trahens est illa species, quae omnium frequentissima observatur, cujus gradus minimus flatulentia ad altissimum usque, ad morbum illum perniciosum ileum, quo utplurimum vis partis intestinorum cujusquam muscularis plane submissa est paralysi, potest adscendere. Causae quidem remotae, quae huic subsunt pneumatosi, quamvis multiplices esse possint: tamen causa maximi momenti habenda est nervorum debilitas gangliosorum. Nec autem mirum intellectuque difficile, flatulentiam adeoque tympanitidem posse producere hancce debilitatem, quippe quae secretionem atque motum intestinorum peristalticum vel permutat vel plane tollit, ita ut aut contenta secretione perversa ad fermentationem et dissolutionem magis inclinentur aut motu peristaltico cessante, quominus excernantur, in-

pediantur. Causae, quae nervorum imbecillitatem gangliosorum perficiunt, iterum sunt perplures, sed saepenumero accusanda est nobis perversa et deminuta bilis secretio, quae efficit, ut intestina irritamento careant consueto ac ita, quae motum provocent peristalticum, non sint idonea, — plethora abdominalis, quae quidem saepius cernitur effectus debilitatis nervorum, — porro pathemata animi deprimentia, quae inprimis nervis nocent gangliosis partibusque, ad quas illi pertinent, qua de re flatulentiam tam saepe invenimus melancholia conjunctam hypochondriaque. Praesertim vero huc afferenda est abdominis, ut ita dicam, superirritatio nervorum, quae in hominibus, qui spirituosa haurire justo largius consuescunt, quam saepissime occurrere solet. Accuratius de variis permultisque debilitatis nervorum gangliosorum causis me dicere, superfluum erit, distinctius vero ileum tympanitidemque puerperarum tractem, necesse mihi videtur.

Ileus est morbus, cujus gravissima sunt signa obstructio alvi pertinax tumorque abdominis, simul toto organismo aegrotante, deficiente vero irritatione doloribusque permagnis. Quae vero symptomata haud raro occurrunt conjuncta cum dolore quodam fixo, in parte abdominis circumscripta praesertimque

in capitis coli regione senso. Alias observantur dolores vagi gravissimi, qui paroxysmis augentur intrantibus ac iis, qui purgantibus drasticis applicatis oriuntur, sunt similes. Haecce reactio intestinorum peraucta sese extendit usque ad regionem quandam, qua desinit recurritque retrorsum, ita ut vomitus, saepissime faecium, sequatur. Secundum Abercrombie (l. c. pag. 138—188) desunt symptomata febrilia atque dolor initio morbi premendo non augetur sed potius mitigatur, morbo vero ingravescente crescit tympanitis, dolor viriumque prostratio magis magisque. Plurimi medicorum ileo semper subesse faeces, quae tenacissimam alvi efficiant obstructionem, ponere sunt propensi valde accumulatas, alii vero in ileo intestina inflammationi credunt esse submissa, sed hae sententiae plane sunt abjiciendae eoque magis quo facilius ad methodum curandi possunt nos ducere falsam. Abercrombie distinguit:

1) ileum, qui oritur paralysi vis intestinorum muscularis idiopathica,

2) ileum, cui praecedebant tales morbi, quales vim illam amovere valebant,

3) ileum, qui obstructione efficitur mechanica.

Permulti viri docti inprimisque ille magnus me-

dicus Edinburgensis saepissime observaverunt ileum, quo, sectione rite ac accuratissime peracta, intestina inveniuntur laborantia nullo alio morbo, quam distentione permagna, ita ut faeces ne aridae quidem accumulataeque sed liquidae tantummodo ac gasa quaedam adessent permulta. Quae cum ita sint, hisce in casibus unicam tanquam causam ponamus necesse est paralysin virium membranae muscularis, qua, ne contenta eiicerentur per anum, impediebatur atque nutritione sublata collapsuque virium vita privabatur aegrotus. Illa vero paralysis intestinorum partialis esse potest aut primaria, quae efficitur atonia nervosa vel subito vel sensim sensimque exorta, aut secundaria, quae forsitan inflammationibus praegressis remansit. Nullum vero non erat tempus, quo causa ilei proxima semper ponebatur in enteritide, quam sententiam esse falsam supra jamiam est dictum. Tamen inflammatio ileo tempore seriori accedere plerumque consuescit ac tantum raro ab initio statim inflammatio ileum comitatur. Quocunque in casu inflammatio quaedam ileo sese consociabat: funeribus quoque in exquisitis invenimus signa inflammatoria et plurimum intestinorum gangraenam, qua morbus in exitum, omnium frequentissimum, ruit lethalem. Ileus, qui mechanica ex obstructione trahit

originem, non raro offertur, praecipue peritonitide praevia intestinali, qua pseudomembranis formatis filamentisque plasticis sejunctae conglutinabantur partes, ita ut motus intestinorum peristalticus sublatus aut adeo cavitas eorum interrupta vel plane sit occlusa. Denique intestinorum quoque intussusceptiones nec non herniae inprimisque inguinales incarceratae ileum provocare valent, qua de re therapia explorationem partium, quibus herniae formari solent, indicat accuratissimam. Existimare quoque ileum facile enasci, quando fistula stercorea s. anus praeternaturalis nimis citius sanetur, valde propensus sum. Nec non evenit saepenumero, ut intestini fines, inter quos pars illa destructa sita est, acutum reddant angulum, quo ducatur quasi paries disjungens, qui impedit, ne pars intestini superior cum inferiore ineat communicationem. Qua sub conditione fistula stercorea, priusquam ille paries forfice, quam construxit Dupuytren, removebatur, sanata ileum semper adduci opinor.

Partu peracto puerperarum venter utplurimum sensim sensimque relabitur eo, quod uterus magnitudinem in consuetam redigitur normalem atque viscera, antea utero gravido depulsa, locum redeunt in suum. Interdum vero, diebus saepe perpluribus jam-

jam praeterlapsis. tumorem non videmus desidere, ita ut puerpera feminae plane aequet praegnanti. Tempore priori hocce malum removere fasciis abdominalibus, nulla ratione momenti causalis habita, medici studebant. Sunt vero abdominis puerperarum tumefacti maximi causae momenti musculi abdominales debilitati et, qui visceribus obstent urgentibus, minus idonei, quorum laxitas haud raro ad tam altum adscendit gradum, ut herniae, praecipue quae albam tenent lineam ejusque latera, oriantur, atque sub tali solummodo rerum statu, taxi peracta absenteque quaque inflammatione, abdominalibus uti possumus fasciis. Evenit nec vero non, ut in puerperis tympanitis appareat tum acuta, quam febrim puerperalem esse modificatam Burns suspicatur, tum chronica saepius occurrens sanatuque valde difficilior, cui plerumque vires muscularis intestinorum membranae subsunt infirmatae. Nec est, quod miremur in puerperis hancce tympanitidem inveniri atonicam, si uterum, quatenus comprimit intestina, respicimus praegnantem.

C. Th. Herrmann, de abusu fasciarum abdominalium in puerperis. Berol. 1819.

John Burns Grundsätze der Geburtshülfe a. d. Engl. von Dr. Kölpin. Stettin 1820.

v. Siebold, Handbuch zur Erkenntnifs und Heilung der Krankheiten der Wöchnerinnen. Frankf. a. M. 1826.

TYMPANITIS SPASTICA.

Tympanitis spastica apparet maxime in constitutionibus nervosis, omnino talibus in corporibus, quae facile quibuscunque stimulis excitari propensa sunt. Inprimis haec pneumatoseos forma prodit ex eo, quod gangliosi praedominantur nervi, quam ob rem hypochondriaci quoque hystericaeque hoc malo vehementer vexantur. Spasmi, quibus afficiuntur intestina, plerumque sunt partiales et quando tonici: evenit, ut saepenumero tumores valeamus sentire stricte circumscriptos durissimosque, quos cum vitiis viscerum organicis permutari re inadtente disquirenda possumus sollicitari; sin autem crebrius visceris aegrotantem phaenomenibusque bene advertetis animum: semper dignotu facillimus erit spasmus, quippe qui nunquam valde diu valebit durare. Affert tamen Abercrombie (1) feminae cujusdam viginti sex annos natae, quae jam antea spasmis fa-

(1) Pathol. u. pract. Untersuchungen über die Krankheiten des Gehirnes und Rückenmarkes. A. d. E. von G. v. d. Busch. Bremen 1829, pag. 96.

tigabatur, historiam cerebri morbi, quo totum abdominis latus dextrum inflatum, durum dolorificumque cernebatur, ita ut vitium adesse organicum medicus Edinburgensis revera suspiceretur, nec tamen ullam viscerum tum pectoralium tum abdominalium desorganisationem sectio praebebat. Pars intestinorum quaedam spasmo affecta plerumque constringitur, ita ut partes supra sitae haesitandis faecibus gasibusque distendantur, nec enim consentiam Richtero, qui dicit l. c., spasmos, ut in cavo peritonaei ipsius secernantur seriusque resorbeantur gasa, efficere, ac hystericis quoque in paroxismis inaequabile plerumque atque gibbosum invenimus abdomen. — Colica flatulenta habenda est tympanitidis species spasticae, qua de re spasticam quoque nonnulli dicunt scriptores colicam hancce, quae spasmis intestinorum clonicis et circumvolantibus provocatur flatibus. In conspectum prodit utplurimum in feminis hystericis; abdomen tumescit resonatque percussum, interea dolores frequenter succedunt flatusque intestina divagantes plenitudinis gravitatisque sensu et doloribus vagis recurrentibusque divexant aegrotam, ac observatur dyspnoea, singultus, palpitatio cordis impeditaque deglutitio; pulsus est parvus intermittens tensusque et spastica urina. Hysterica flatus eruere studet ac fit,

ut nascantur e vi nervorum gangliosorum tantopere turbata varia mirabiliaque phaenomena. Saepenumero enim aegrota globulum quendam in abdomine censet esse situm, sin autem adscendit spasmus flatusque ad pharyngem usque: oritur aegrotae saepissime sensus, tanquam ventus feratur ex imo ventre versus caput, vel globulus adscendat haereatque in faucibus, quomodo accidit, ut, jam mentis integritate sublata, in abdomine habitare animalia, sibi persuadeat. Hysteriam laryngeam, quae dicitur plurimis a scriptoribus illa, qua globulus adscendit haeretque in faucibus, prodire arbitror ex eo, quod flatus in oesophagum adscendunt, sed spasmo, quo pharynx (neque larynx) constringitur, praepediuntur, ne ex ore propullulentur, qua de re hysteria laryngea hucusque sic dicta aptius nominanda est pharyngea. Larynx spasmis hystericis rarius minusque afficitur, aegrotae enim quamquam haerere aliquid in trachea, quo, ne suffocentur, quovis momento timendum sit, queruntur: tamen loquacitate eloquentiaque quadam quodque enarrat malum, quod larynge spasmis constricto unquam fieri nequit. Illa vero constrictio faucium spastica interdum tam pertinax esse potest, ut globulus i. e. illa oesophagi pars flatibus extensa tracheam comprimat spiritumque plus minusve auferat, sed hy-

steriam pharyngeam frequentius longe quam laryngeam censeo occurrere.

Vita saepenumero nervorum tantopere cernitur peraucta (hyperaesthesis), ut incitamentis exiguis, quae alioquin systema fere prorsus non valeant invadere nervosum, mirabilia appareant signa. Sic Frank se observasse enarrat feminam, quae, quacunque corporis parte traheretur per pilum, edidit ructus; virum quoque quendam vult vidisse ructus edentem, quotiescunque tubercula dura quasi gummata in parte capitis capillata comprimeret ob dolorem, ac ructibus explosis siluit dolor. Femina quaedam nobilis ad Frank adducebatur, quae, quum a viro quocum saltatura erat aliquando prehenderetur, prima vice ructus edidit multos, quod illi deinde contigit, quoties saltatura tangeretur; serius interdum doloribus artuum velut rheumaticis vexari coepit, et quando dolorum leniendorum causa partem comprimebat dolentem, ructus semper cum dolorum cessatione edidit; denique si a quopiam ubicunque tangeretur, ructus edidit, ita ut sine hoc incommodo ne pulsum quidem tangendum praebere posset. — Alii viri medici tumores emphysematicos, qui inferiores hystericarum afficiebant extremitates, crevisse affirmant, quo pneuma quoddam secerni posse e sanguine ipso

demonstrare student. Secundum Sydenhamum accidit, ut in hystericis ad tibias praesertim compareat tumor durus digitoque non cedens prementi, qui majoris mane quam sub vesperam cernitur molis et juxta Rolain cum diabete hystericisque alternat paroxysmis. Quae quum ita sint, tumorem non fuisse emphysematicum satis elucet, quia digito non cedebat prementi, sed potius contractione musculorum spastica opinor fuisse exortum. P. Frank quidem quoque paroxysmis sub hystericis vidit tumorem colli aliarumque partium, sed ita durum, ut emphysematicum vix putaret.

TYMPANITIS PUTRIDA.

Tympanitis putrida est illa species, qua materia aëriformis putrida vel nutrimenti vel secretorum vel partium intestina constituentium fermentatione evolvitur, quin quaedam inflammatio, spasmus vel atonia observetur oporteat praevia vel praesens. Itaque omnia nutrimenta ad fermentationem facile propensa, quae praesertim sub corporis motu pauciore gasis carbonici et hydrogenii permultum valent e se volvere, ut quodque legumen, cibus e farina

paratus atque sacchari continens permultum, pneumatosin provocare queunt. At non minus hic referenda est tympanitis, quae comitari consuescit statum pituitosum et febrim pituitosam, typhum abdominalem, febrim putridam ac hecticam, diarrhoeam et dysenteriam malignam, intestinorum suppurationem, exulcerationem atque gangraenam, quibus omnibus in morbis humorum oritur decompositio dissolutioque talis, qualis, quae efficiat tympanitidem, habenda est accommodatissima. Tympanitidem putridam quamvis saepissime sequelam atque comitem procedere aliarum tympanitidis specierum non possim quin confitear: attamen spero fore, ut haecce distinctio mihi indulgeatur, quia prioribus tribus in formis pneumatosis magis efficitur intestinis ipsis, putrida vero originem magis ex eo, quod inest in intestinis, cernitur ducens.

Sunt quidem huc illuc scriptores, qui formas pneumatoseos commemorarunt adhuc nonnullas: sed hae aut tam raro occurrunt, aut sunt tam ambiguae, ut, quae in dissertatione inaugurali tractentur, habeo ineptas. Hic est referenda p n e u m a t o s i s t e l a e c e l l u l o s a e e x t e r n a e, p n e u m a t o s i s u t e r i seu p h y s o m e t r a et denique v a s o r u m, qua aër in sanguine ipso adesse fertur.

VITAE CURRICULUM.

Ego, Gustavus Adolphus Haar evangelicae addictus confessioni, natus sum Bremae Maji die XXVIII anni MDCCCXI patre Henrico matreque Meta e gente Bangertia, quorum parentum priorem optimum praemature exstinctum lugeo semperque lugebo. Primis quidem literarum elementis Bremae imbutus sum; quod vero gymnasium ibi collabi coepit, petii gymnasium Hasso-Schaumburgense, quod Rintelii floret, et quo Wifs, Fuldner, Jacobi aliique viri doctissimi celeberrimique me docuerunt literas initiaque philosophiae. Ibidem commoratus annos per duos dimidiumque atque ornatus testimonio maturitatis honorifico adii almam literarum universitatem Rhenanam Fridericam Guilelmam, qua a Cel. a Droste-Huelshoff, t. t. rectore magnifico, civibus academicis et a Cel. Mayer, t. t. decano valde merito, medicinae studiosis adscriptus hasce audivi praelectiones: anthropologiam

somaticam et psychicam Ill. Ennemoser, anatomiam generalem et osteologiam Ill. Weber, botanicen generalem et singularum demonstrationes plantarum Ill. Trevirani.

Semestri uno praeterlapso, varia me moverunt momenta adire Berolinum, quo, ab Ill. Boeckh, t. t. rectore magnifico, civium academicorum et ab Ill. Hufeland, t. t. decano, medicinae studiosorum receptus in numerum, has frequentavi praelectiones: chemiam Ill. Mitscherlichii, anatomiam specialem, organorum anatomiam sensuum, doctrinam de entozoïs, physiologiam, anatomiam et physiologiam comparatam Beat. Rudolphi, pathologiam et therapiam generalem Ill. Eck, materiam medicam Ill. Osanni.

Annum unum Berolini versatus me contuli Marburgum Cattorum, quo, ab Ill. Endemann t. t. prorectore magnifico, in civium academicorum relatum numerum, me docuit pharmaciam hominisque educationem physicam Ill. Wurzer, semioticen et therapiam generalem, pathologiam et therapiam specialem, anatomiam pathologicam, choleram morbum Ill. Heusinger, chirurgiam Ill. Ullmann, artem obstetriciam tam theoreticam quam practicam Ill. a Siebold, artem cadavera rite dissecandi Ill. Buenger. Illic frequentavi quoque scholam clinicam medicam Ill. Heusingeri, chirurgicam et ophthalmologicam Ill. Ullmanni.

Uno anno Marburgi peracto redii Berolinum atque denuo civibus academicis Ill. Weifs, t. t. rec-

tor magnificus, studiosisque medicinae Ill. Osann, h. t. decanus bene meritus, me adscripsit. Hac alma in universitate literarum varias praelectiones audivi philosophicas ac interfui praelectioni de ophthalmologia Ill. Juengken ejusque scholae clinicae ophthalmologicae, scholae clinicae medicae Ill. Wolf, chirurgicae Ill. Rust, praelectioni de infantum morbis Ill. Casper, nec non frequentavi policlinicum, quod regunt Ill. Hufeland, Ill. Osann et Ill. Busse, atque praelectionem Ill. Osanni de Germaniae fontibus salutaribus.

Quibus omnibus praeceptoribus inprimisque illis, qui Berolini animum meum juvenilem impleverunt amore scientiarum summo, et quorum eruditione quam longissime adhuc frui habeo in votis, maximas ago gratias sensuque beneficiorum incensus grata in mente semper illos habebo. Tentaminibus et examine rigoroso rite superatis, spero fore, ut, dissertatione thesibusque palam defensis, summi in medicina et chirurgia mihi attribuantur honores.

THESES DEFENDENDAE.

I.

Congestio activa sic dicta non sistitur.

II.

In inflammatione nunquam formantur vasa nova.

III.

In pulmonibus acidum carbonicum emittitur e sanguine ipso nec oritur aëris atmosphaerici oxygenio sese conjungente cum carbone sanguinis.

IV.

Carditis plerumque nil aliud est quam pericarditis.

V.

Plantarum divisio secundum Jussieu, quae nominetur systema, non habenda est digna.